



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus

Engel, Ludwig

Salisbvrgeri, 1662

§. 3. Qualiter detur immunitas â solvendis Decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41598

§. III.

QUALITER DETUR
immunitas à solvendis
Decimis.

1. An & qualiter detur immunitas à solvendis decimis.
2. Religiosi vi Iuris communis non solvunt decimas de animalibus & mobilibus.
3. Multi ordines sunt adhuc amplius Privilegiati.
4. An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent Privilegium immunitatis à solvendis decimis.
5. Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantum in memoriali.
6. Prescriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.
7. An prestationibus annuis praescriptum possit, & quis sit sensus L. cum...

fini § fin. C. de prescript. 30. annor.

8. Quanto tempore prescribatur immunitas.

9. à restitutione decimarum ante completam prescriptionem non excusat consumptio bonâ fide facta, aut triennalis possessio.

10. Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verò in sui præjudicium.

11. pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecunie, quamdiu dominium sibi est utile.

12. Clericus minorennis in beneficialibus habetur pro Majorennis, ut possit agere in Iudicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum.

13. Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.

14. Conciliatio c. statuimus. & c. veniens. de transact.

15. Abbates possunt dare consensum in

N 2

alis.

alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.

16. *Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.*

17. *Pauperes an sint immunes à solutione Decimarum.*

I Non defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solutione Decimarum dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum dimeretur, etenim Decimas non aliter esse Juris Divini, quam in quantum ad sustentationem Clericorum necessariae sunt, jam supra in §. I. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes redditus habeat, vel ex decimis aliquorum tantum Parochia

Parochianorum congruè sustentetur, rectè
dari exemptionem seu immunitatem
à solvendis Decimis per *privilegiū Pon-*
tificium, *consuetudinem*, *prescriptio-*
nem aut contractum.

2

Per *Privilegiū* idque clausum in cor-
pore Ju. omnes Religiosi & alia pia lo-
ca exempta sunt, quo minùs de anima-
libus, quæ nutriunt, item hortis & No-
valib⁹, quæ proprijs manib⁹ aut sump-
tib⁹ excolunt, decimas dare teneantur,
c. ex parte 10. h. t. Novaliū autem no-
minè intelliguntur illæ terræ noviter
per Religiosos ad culturā redactæ, de
quarū cultura non extat memoria, &
ex quib⁹ prius Parochus nullas vel exi-
guas Decimas percipiebat *c. fin. de Pri-*
vil. & c. quid per Novale. 21. De V. S.

Coeterū extra corpus Juris per
speciales Bullas multi Ordines Reli-
giosorum exempti sunt non tantūm
in Novalibus, sed etiam quibuscunq̄
terris, quas suis laboribus vel sumpti-
bus colunt, nec alijs colendas tradunt.

N 3

Si-

Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus alijs attestatur Barb. *in d. c. ex parte n. 5.*

4 Quæritur autem, an illi Religiosi qui in specie quidem à solutione Decimarum exempti non sunt, attamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quoad Decimas privilegiati censeantur? Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert Barb. *de offici Par. 3. c. 28. § 3. n. 41.* quia immunitas à solvendis Decimis est de officio concessio propter præjudicium Parochorum. *arg. c. nuper.* hoc ut proinde locum habeat regula, quæ in generali concessione non veniat, ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus. *c. qui ad agendum De Procur. in 6.* & quia *d. c. nuper.* in quo similia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressâ mentione

tione. Nihilominus tamen notabi-
 les limitationes ex alijs Rotæ decisio-
 nibus ponit Pasqual. *in addit. ad Lau-*
ret. de Franchis. de controu. inter Ep.
& Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq. Quod
 nimirum in generali communicatio-
 ne Privilegiorum etiam veniat ex-
 emptio à Decimis, si communicatio
 sit talis, ut exprimat aliqua præjudi-
 cialia privilegia saltem in genere, vel
 adsit talis amplitudo verborum, ut
 significet mentem communicantis se
 extendere ad omnia. Item si in pri-
 vilegio communicato, jam sit inserta
 clausula derogatoria dicti cap. *nuper.*
 quia privilegium comunicans comu-
 nicat privilegium cum suis qualitati-
 bus. Præsertim si privilegium com-
 municationis habeat annexam Clau-
 sulam: *quorum tenores, &c.* quæ ope-
 ratur ut privilegia communicata
 censeantur in litteris communicatio-
 nis de verbo ad verbum inserta. Ac-
 cedit quod privilegia exemptionum

à Decimis dentur Religiosis intuitu
laborum quos sustinent in Ecclesia
prædicando, docendo, & Sacramen-
ta ministrando, ut dixit Rota *dec.*
795. n. 27. ergò æquitas suadere vide-
tur, ut eiusmodi privilegia ad Reli-
giosos communicantes, qui similes la-
bores subeunt, pariter extendantur.

§ Per consuetudinem quoque dari im-
munitatem à solvendis Decimis ve-
rior est sententia. ita enim videmus
Decimas *personales*, item Decimas im-
mutas passim abrogatas esse, sicut at-
testantur DD. qui in diversis Europæ
partibus de Decimis scripsère. Sc-
hoc cum generali illâ limitatione ac-
cipiendum est, si nimirum Parochi
per talem consuetudinem congrua
sustentatio non subtrahatur. Præ-
terea rectè advertit Paulus Laym. in
Theolg. mor. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 11.
quamvis regulariter ad introducen-
dam consuetudinem adversus legen-
Ecclesiasticam 40. anni sufficientes
qui

quia tamen lex Decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scil. successores bonâ fide credant suis majoribus per privilegium aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse. nam aliàs locum habebit text. *in c. cum haberet, de eo qui duxit, &c.* quòd diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet. & *in c. fin. de consuet.* quòd tantò sint graviora crimina, quantò diutius infœlicem animam tenuerunt.

Quod de consuetudine magis de 6
 præscriptione sentiendū est; cum enim præscriptio in eo differat à consuetudine, quòd consuetudo inducatur ab aliquâ Communitate, præscriptio verò à singularibus personis: Sanè minus præjudicabit Parocho si unus vel alter per præscriptionem à solutione Decimarum se eximat, quàm si tota communitas. Imo quamvis Laici

Jus decimandi tanquam spirituale
 & propter spirituale ministeriū com-
 petens per præscriptionē acquirere nō
 possint per supra dicta, immunitatē ta-
 men eos præscribere posse magis inter
 DD. convenit, quia per hanc nullū
 spirituale sed tantū potestatem fru-
 ctus suos integros percipiendi conse-
 quūtur. *Cov. var. res. l. 1. c. 17. n. 10.* Ne-
 7 verum est, quod quidā docent ex *l. cum*
notissimi. §. fin. C. de præscript. 30. ann.
 obligationib⁹ annuis absolute præscribi
 non posse. nam contrarium evincitur
 ex *c. de quarta. Sc ad audientiam de*
præscript. l. eos. 22. C. de usur. quōd verū
 Imperator in *d. l. cum notissimi.* dicit
 in ijs obligationibus quæ dationē per
 singulos annos continent, præscriptio-
 nis tempus non ab exordio obliga-
 tionis, sed ab initio cujusque anni
 computandum esse, &c. ita intelligi
 debet, quōd circā obligationem an-
 nuam duæ quasi diversæ præscrip-
 tiones concurrant, una quā præscribi-

tur ipsi principali & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum, & altera, quâ præscribitur obligationi speciali & secundaria dandi res singulas annis singulis: in illa præscriptio computatur à die quâ primitus in solutione cessatum est. *l. pen. in fin. C. de præscript. 30. ann.* in hac à singulis annis vel mensibus in quibus res illæ solvi debuissent, *d. l. cum notissimi. S. fin. in pr.* Vnde qui v. g. per 50. annos Decimas bonâ fide non solvit, non tenebitur quidem illas Decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo decennio perceperit, quia illæ post præscriptionem jam completam perceptæ sunt, illas verò quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omninò tenebitur, cum respectu illarum (numerando præscriptionem à singulis annis quibus solvi debuissent) ex de-

N 6

fectus

annis, quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit præscriptio. Quam eandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfler nunc Abbas Schyrensis, Professor & Antecessor meus de hac universitate nostra olim suâ præclarissimâ doctrinâ, nunc suis gratijs meritis finis. Videtur quidem in contrarium facere, quod Imp. *in d. l. cum nos simi. §. fin* exemplum subijerat de Emphyteuta, (cujus etiam est obligatio annua) quòd nullo temporis circulo rem Emphyteuticam tanquam propriam præscribere possit. Sed, si fallor, ex illa exemplo nostra sententia non parum confirmatur; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit præscribere obligationi dandi annum Canonem (aliàs enim frustra præmisisset qualiter præscriptiones circa obligationes annuas computari debeant) non tamen

prop-

propterea possit pretendere quod res
 quoad dominium *directum* ad se per-
 tineat, ex defectu scilicet possessionis,
 quam non habuit ut Dñs *directus*,
 sed tantum ut Emphyteuta, quod si in-
 terverteretur Domino possessio v. g.
 per alienationem in eum, qui rem tan-
 quam liberam & propriam possideret,
 tunc etiam usucapio quoad Domi-
 nium *directum* procederet, ut adver-
 tit Gloss. in d. §. *fin. v. conductori. &*
in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.

Sed Q. 1. quanto tempore immunitas
 à solvendis Decimis præscribatur? 8

Distinguitur, an præscriptio præ-
 tendatur contra Ecclesiam Parochia-
 lem vel contra aliam Ecclesiam aut
 Monasterium vel omninò contra pri-
 vatum Clericum aut Laicum. in pri-
 mo casu requiritur cum titulo 40. an-
 norum spatium, & sine titulo tempus
 immemoriale c. 1. *de præscript. in 6.*
 in secundo casu 40. anni etiam sine
 titulo sufficiunt; & tertio, 10. cum ti-

N 7

tulo

tulo & sine titulo 30. juxta vulgata
 præscriptionis Jura. ante omnia ta-
 men in hac immunitatis, sicut in qua-
 vis alia præscriptione *bona fides* re-
 quiritur *c. fin. de præscript.* ut scilicet immu-
 nitatem prætendens sine contumacia
 aut fraude justo errore ductus Decimas
 hæctenus solvere recusarit. puta qui
 agrum tanquam immunem à Decimis
 emit, venditore privilegium vel com-
 positionem cum Parocho factam al-
 legante, vel quia putativum privi-
 legium habet aut sui antecessores
 nunquam ab hominum memoriâ De-
 cimas persolverint. *tex. in. l. fin. ff.*
pro suo.

9 Quæritur 2. an is, qui bonâ fide
 per 10. vel 20. annos Decimas Eccle-
 siæ non solvit, si ex postfacto ad solu-
 tionem Decimarum condemnetur, te-
 neatur non tantum Decimas futuri
 sed etiam præteriti temporis persol-
 vere? videtur quidem negativè re-
 spondendum, cum passim inter DD.

conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, §. *si quis à non domino. 35. Inst. De rer. divis.* neque extantium, quas bona fide per triennium possedit, & consequenter usu cepit. *Barth. in l. 4 § fructus. ff. de usucap. Rayger. in thesauro Jur. v. fructus. n. 57.* Quòd autem præscriptio triennialis & qualibet minor decennio etiam contra Ecclesiam procedat, communis est DD. *in auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.*

Verùm hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singulorum annorum quadragenaria præscriptio intervenerit. etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum, in fructibus præscribitur dominium verum & irrevocabile, cum prius fuerint reverà alieni & tantum

in

in quasi seu revocabili dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusâ actione in factum eos consumere potuisset. *Harp. in d. S. quis à non domino. n. 56. & seqq.* In decimis autem præscribitur obligationi, tanquam in quibus Ecclesia nondum in sui præjudicium dominium habuerit, sed actionem seu conditionem ex Canone *gl. inc. tua nobis. b. neque in decimis rectè applicatur la regula: quòd possessor bonæ fructu lucretur fructus, cum decimæ respectu Parochi non se habeant per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ principaliter sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatatum ignarus mutui tanquam proprium contempserit, non ideo minus ex mutuo tenebitur.*

Sed nunquid veriùs est, quod docet *Pan. inc. commissum & inc. tua nobis. b. t. n. 12* Decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesiæ propter *tex. in r.*

moderamine. 16. q. 1. ubi vindicatio
 pro Decimis conceditur, quæ non nisi
 domino competere solet. *L. in rem.*
ff. de rei vindi. & arg. l. ut inter. C. de
SS. Eccles. in qua comuniter norant.
 Interpretes, quòd dominium in Ec-
 clesiam etiam sine traditione transfe-
 ratur. R. hanc sententiam Panormio
 procedere in quantum est Ecclesiæ
 favorabilis, ut scil. possit Decimas à
 tertio possessore vindicare. *c. cum*
non sit. & c. pastoralis. h. t. ut bonis
 Parochiani subhastatis in Decimis ex-
 tantibus ante omnes privilegiatos
 creditores ponatur. *l. si ventri. §. in*
bonis. ff. de privil. Cred. Non au-
 tem si exinde aliquod præjudicium
 Ecclesiæ inferatur, si propterea bre-
 viori præscriptione damnificetur,
 ne quòd in favorem Ecclesiæ est in-
 troducedum, in ejus odium retorquea-
 tur. *c. quòd ab gratiam. De R. l. 6.*
 Quemadmodum in simili pupillus
 (a quo bonum est argumentum ad Ec-
 clesiam

clesiam *c. 1. de in integ. rest.*) si abs-
 que tutoris authoritate mutuam det
 pecuniam, vel solvat debitori, ma-
 net quidem adhuc Dominus pecunie
 mutuatae vel solutae, & si extet, eam
 vindicare potest. *l. non omnis. 19. §.*
1. ff. de reb. cred. l. quod si. 14. §.
fin. ff. de solut. Sin autem pecunia
 consumpta fuerit, aut periêrit penes
 accipientes, pupillus in sui præjudicium
 non censetur habuisse dominium,
 sed mutuum vel solutio conualecet,
 & conditionem in mutuo vel libera-
 tionem in soluto operabitur; ob-
 eandem scilicet causam, *ne quod in fa-
 vorem, &c.* Pariter Clericus minorenis
 in beneficialibus causis habetur pro
 majorenne, unde & in ijs procura-
 torem constituere vel ipsemet agere
 poterit. *c. fin. De Iudic. in 6.* Sed
 & hoc dum de favore ejus agitur,
 quid ergo si inconsultâ facilitate
 ductus suum beneficium resignaverit,
 an exemplo minorennium laico-
 rum

rum in integrum restituetur? Affirmativa magis recepta est, ex eodē iterum fundamento, *ne quod in favorem* & c. *Cov. var. res. lib. 1. cap. 5. n. 3. Zoes. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.*

Quæritur 3. qualiter immunitas¹⁴ à solvendis Decimis per contractum acquiri possit? quòd per gratuitam & liberalem compositionem, item etiam pro re aut Iure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas decimas pro immunitate se obligent ad faciendas Conciones in Ecclesiâ Parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex *c. Statuimus. & c. veniens. de transact.* ita tamen, ut nisi Superioris Authoritas interveniat, talis contractus minimè obliget Parochum successorem, *d. c. veniens.* quàmvis enim successor hereditarius factum sui defuncti præstare debeat, ex cuius Personâ lucrum sentit, & cum in eum omnes regulariter actiones passivæ & activæ transeant. *l.*

CUM

*cum à matre . C. de rei vind. l. ex qua
 persona 149. & l. qui in lus 177. ff. De
 R. I. Successor tamen in dignitate
 vel officio, cum omne suum Jus non
 à defuncto, sed ab electione, institu-
 tione vel concessione superioris ha-
 beat, regulariter non tenetur stare pa-
 cto sui antecessoris, si illud pactum
 non sit jam absolutum & expeditum
 (ut venditio, donatio &c.) sed ha-
 beat causam continuam & etiam suc-
 cessorem obligare deberet ad aliqua
 de præsentis faciendum vel patien-
 dum, ut in remissione decimarum in
 futurum, in locatione rei Ecclesiasti-
 cæ & similibus, nisi tale pactum nomi-
 ne Ecclesiæ scilicet cum consensu supe-
 rioris (vel in majoribus Ecclesiis cum
 consensu capituli) factum sit. *Cou-
 var res. lib. 2. c. 15. n. 6. Gutier. com.
 99. lib. 1. c. 36.**

¶ 4. Quæritur 4. quis in proposito ve-
 niat nomine superioris? dissonant
 inter se cc. in priori quæstione citata.

in altero Episcopi, in altero Summi Pontificis auctoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus *in d. c. veniens*, agitur, fuisse exemptos vel sub immediatâ Jurisdictione Papæ, sed quia non habeo hujus assertionis speciale fundamentum, ideo satis placet, quod pro concordatione dicit Pan. *in d. c. statuimus*, nimirum distinguendum esse an liberatio à decimis per contractum quæratur in perpetuum vel tantum ad tempus: in primo casu, quia relaxatur Jus commune & contractus induit speciem privilegij, requiretur Consensus seu Auctoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficiet. Item solum Episcopi Auctoritatem sufficere censet Pan. *d. l. si contractus fiat super Jure decimandi dubio & controverso*. Licet autem *per d. c. veniens*, in transactione (quæ tantum fieri potest super re dubia. *l. 1. de transact.*) requiratur Consensus Papalis. nihil-
omi-

ominus illū tex. de transactione sine
 causæ cognitione & evidenti utilitate
 Ecclesiæ Parochialis in itâ intelligit gl.
in d. c. statuimus. Barb. in eod. c. veni-
ens. n. 3. Porrò quod de Episcopo dicitur,
 de Abbatibus quoq; sentiendum
 est circa Parochias suis monasteriis
 pleno Jure incorporatas, quia ex com-
 muni DD. sententia per talem incor-
 porationem Jurisdictionē quasi Episco-
 palem acquirunt, ut inter alia etiā au-
 thoritatē in alienatione rerū ad hu-
 jusmodi Parochias pertinentiū inter-
 ponere valeant. *Pan. in d. c. statuimus.*
de transact. n. 4. Innoc. in eod. c. statui-
mus in. fine. gl. in Clem. 1. in v. proprij de
reb. Eccles. non alienand. Koker. de Ju-
risd. in exempt. p. 1 q. 9. n. 7. Op. 4 q. 20.

16 Quæritur 5. an immunitas à sol-
 vendis Decimis pro pecunia vel alia
 re temporali acquiri possit? Negativa
 favet tex. *in c. fin. de rerum permutat.*
 Sed verior mihi videtur affirmativa.
 hoc saltem sensu, quòd per contractū

v.g. emptionis, qui initur super imunitate, censeantur Decime, quatenus considerantur ut fructus in posterum nascituri & decimationi obnoxij in proprio agro emi seu acquiri. Etenim valere emptionem fructuum, qui nascituri sunt, tex. est in *l. nec emptio. §. De contrah. empt.* Item quod rem, quae mea est, possim emere sub conditione, & in illum eventum, ubi mea esse desierit: aperte probatur. ex *l. existimo §. ff. ja dicto tit.* unde recte advertit Barb. in *d. c. fin. n. 2.* *Moneta de decimis c. 5. n. 130.* quod in illo .c. *fin.* pecunia data sit pro *decimationibus* id est Jure decimandi, non vero pro Decimis & immunitate.

Quaer. postremo: utrum pauperes, 17
qui non plus colligunt ex fructibus, nisi quantum sibi & suae familiae sufficit ad alimentationem, sint immunes a solvendis Decimis? Pro affirmativa, quam tenuit Melendus antiquus Canonista apud Innoc. in *c. licet. de cens.* facit, quod non videatur Eccles. velle obligare pauperes ad dan-

dandas Decimas, quæ jubet, ut Clerici pauperibus liberaliter subveniant. *c. aurum. 12. q. 1.* Contra regativam communiter amplectuntur DD. *cum gl. fin. in c. quibus tua. 12. q. 1. Sylv. Decima n. 13. Rebuf. de Decimis. q. 5. n. 14.* eò quòd Decimæ solvendæ sint. instar debiti. *c. Parochianos. h. t.* in debito autem non habeatur paupertatis respectus, nisi postquam debitor *bonis cessit*, & propterea, quòd ad solvendas Decimas non tantum personæ, sed agrorum fundi ipsi obligati censeantur. *c. de terris. h. t.* debeanturque Decimæ Deo in recognitionem universalis dominij, quòd non tantum divites sed & pauperes oportet recognoscere. Utramque sententiam ita conciliandam esse puto, quòd pauperes à solvendis Decimis ipso Jure quidem liberati non sint, debeat tamen ipsis remissio per Parochos fieri. *Pan. in c. cum homines. n. 5. h. t. Suar. de Relig. tom. 1. l. 1. c. 16. sub. n. 16.*